



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 3. Quis lapidus? quis frigidus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## §. II.

## Tepor pejor frigore.

**Quando verò caro vivens in eo apparuerit** &c. Levit. 13. 14. Lepram mundissimam eam vocat. si discurrens in cute operuerit omnem carnem à capite, usque ad pedes. **Quando verò caro vivens in eo apparuerit; tunc Sacerdotis iudiciò polluetur, & inter immundos reputabitur.** Mysticè: lepratortum corpus inficiens; peccatorem significat, omni peccatorum genere coopertum: si autem vivens sit caro, ita ut grana aliquot lepræ habeat; tepidum, & remissum, significat: qui ex parte mundam habet conscientiam, ex parte autem leprosam: tamen, quia vivens caro apparet, vivere sibi videtur; nec medicum vocat. Octavianus in Eccl. 2. 15.

**Benedicite ignis, & æstus, Domino-benedicite gelu, & frigus, Domino.** Dan. 3. 66. 69. Æstus, & hyems, in chorum vocantur; ut Deo psallant. Ver floribus renidens non inducitur. Quin & aurora à cœtu psallentium excluditur. Nimirum quæ in confinio virtutis, vitique sunt; ea cœlo non probantur. Mavult Abdênago frigus, quàm teporem: mavult æstum, quàm remissiozem anni partem autumnum. Tenebras audies concinentes cum pueris in fornace, non admisso crepusculò in odeum: **benedicite lux, & tenebre Domino.** v. 72. Olival. 6. Strom. §. benedicite ignis &c.

**In civitate peccatrix.** Luc. 7. 37. Magdalena tota resperis peccatorum leprâ; sed mundissima ex hoc iudicanda: quia cucurrit ad medicum, & sanitatem recepit. Cùm contrà Pharisæus, in quo vivens caro apparebat; quia elemosynas dabat, Christum ad convivium vocârat; medicinam à medico, quam domi habebat, non requirit; imò in medicum insurgit, ejusque facta suggillat. Octavianus antè citatus.

**Scio opera tua, quia neque frigidus &c.** Apoc. 3. 15. Nam, qui frigidi sunt, agnoscunt suam frigiditatem; qui nudi, suam nuditatem; qui infirmi, suas infirmitates; & remedia, ac medicos, accersunt: quod non agunt tepidi, & remissi. Idem ibidem. Tepor periculosior est frigore; tum ob majorem oblivionem, & socordiam; ex quo non advertit suum periculum, sed securus in eo quiescit, & obdormit: tum ob periculum derelictionis à Deo. Deus enim, qui est ignis consumens, sibi que vult à Seraphinis ministrari, hunc teporem odit. Cornelius hic.

Frequentèr vidimus de frigidis, & carnalibus; de secularibus, ac paganis, ad spiritualem pervenire fervorem; de tepidis omninò non videmus. Cassianus coll. c. 4. 19.

## §. III.

## Quis tepidus? quis frigidus?

**Neque frigidus es, neque calidus.** Apoc. 3. 15. Richardus à S. Viçt. Aretas, Ambrosius in Psal. 118., & Salvianus lib. 4. de provid. per calidum, intelligunt Christianum, igne bonorum operum ferventem: per frigidum Paganum, aut Infidelem, sinè fidei caliditate. *Polyanth. Sacra Tom. II.*

re: per tepidum verò, Christianum nomine, sinè operibus; seu Christianum in peccato viventem. Sylveira hic. Richardus à S. Viçt. tenet, frigidos esse hæreticos, calidos Catholicos, tepidos politicos; qui pro suis commodis omnium facies induunt; modò hæreticos, modò Catholicos, se simulant. Sylveira ibidem. Tepidus, meâ sententiâ, is dicitur, qui Deum quidem non audet lethali crimine offendere sciens, & volens; à perfectioris autem vitæ, & conscientie perfectioris, studio alienus est. Quare facile se propriis concupiscentiis permittit, & quavis peccata devorat; quæ sibi tantùm venialia videntur. Ac propterea se reputat justum; quòd sciens, & volens, peccatum mortale non admittat. Alcazar apud Ramirez in ep. 7.

## §. IV.

## Tepiditatem vitandi motiva alia.

**Non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest - ut comedamus, & moriamur.** 3. Reg. 17. 12. Aptius dixisset, ut comedamus, & vivamus: cibo enim vita extenditur. Sed, quia de parvo cibo agebat, maluit dicere, **ut comedamus, & moriamur:** est enim vicina morti tanta cibi parcitas. Bæza t. 3. l. 15. c. 6. §. 13.

**Ascendente eo in naviculam.** Matth. 8. 23. Tria sunt hic spiritualiter attendenda. Primum est animæ conversio; quæ designatur in ascensu naviculæ. Secundum est tentatio; quæ designatur in impetu procellæ. Tertium est animæ consolatio; quæ designatur in sedatione tempestatis. Christus obdormit; quando Christi amor, & memoria, tepescit in corde: nam in se non obdormivit. S. Bonaventura in Luc. 8.

**Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostra extinguuntur.** Matth. 25. 8. Cur inter oves Dei non referuntur Virgines illæ, quæ ardent lampades habuere: non enim dicuntur proforsu exinctæ, nec penitus oleò evacuatæ: dicunt enim **extinguuntur.** Salvianus l. 2. ad Eccl. Cath. eminuisse in eis quiddam luminis putò, cùm & ipsæ extinguendas facile lampades formidârint. Habebant profectò aliquid, quod verebantur extingui. Ex quo intelligimus, id, quod parum est, quasi nihil esse: quia nequam omninò prodest illico extinguendum lumen accendi: nec juvat aliquid illucescere, quod in ortu habeat occasum; & ad hoc tantùm habere initium viventis; ut possit finem habere morientis. Hoc verbum capiant Fideles; qui solum id gratiæ oleum sibi procurant, quò vel ad horam vivant; & luceant semel in anno, in die S. Paschæ. Semel etiam Sathanas in gratia vixit; sed, quia non abundavit, ut viveret; tota ejus vita pro nihilo fuit habita. De illo Is. 14. 12. **quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris.** Manè exortus fuit, & vitam, & lucem, in se ostendit; sed lucem solius auroræ, unius stellæ: ad perfectum diem non pervenit. Prov. 4. 18. **justorum semita, quasi lux splendens &c.** Bæza citatus.

**Surgite, eamus.** Marci 14. 42. Tepidas excitat suâ promptitudine mentes; & cognitâ voluntate paternâ, intrepidè se donat in pœnas. **Ecc e e 2 Sim.**